Quelle: https://manuscripta.at/?ID=911
Copyright: Klosterneuburg, Augustiner-Chorherrenstift



lucesceret latent fugerunt ex eodem loco.

Quidam de scis senioribus salutacionis causa perfectus est ad alium seniorem heremitam. qui cum omni gaudio suscepit eum. Cuius aduentu parauit ad refectionem senior lenticule cibum coctum. Dixeruntque inter se. ut prius ex more complerent orationes. et psalmodias. et postea cibum caperent. Cum autem ingressi fuissent. psallebant. totumque psalterium compleuerunt. Nam de scripturis scis tamquam legentes. duos prophetas absentes recitarunt. Itaque dies abierat. nox similiter recedebat. Dum ergo orarent. et intente psallerent. illuxit alia dies. et tunc intellexerunt. quia iam nox transisset. Iterum autem inter se de uerbo dei loquentes et spiritales sibi sensus exponentes. factum est ut circa horam nonam salutarent se inuicem. atque ita reuersus est qui uenerat senex ad cellulam suam. Nam refectionem cibi qui paratus fuerat obliti sunt accipere. dum cibum spiritale receperunt. Uespere autem facto inuenit senior ollam plenam sicut parata fuerat. et contristatus dixit. Heu quomodo obliti sumus recipere pulmentum istud.

Referebat nobis abbas sceno. De abbe Scenone.

quia aliquando cum proficisceretur ad palestinam. fatigatus de labore itineris. resedit sub arbore. Erat autem in proximo ager plenus cucumeris. Cogitauit autem in corde suo. ut surgeret et tolleret sibi ad refectionem aliquos cucumeres. Nichil enim in quid grande est. quod abeo tollere. Respondensque ipsi sibi et cogitationibus suis ait. quia fures precipientibus iudicibus in tormenta mittuntur. Oportet ergo. et me ipsum probare. si possum sustinere tormenta. que latrones patiuntur. Exurgens